DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE

POTESTATE LEGIS IN PRINCIPEM,

Quam

D. O. M. A.

EX DECRETO

Illustris JCtorum Ordinis in florentissima SALANA,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Præ-Nobilissimi, Excellentissimi atque Consultissimi

DN. JOH. VOLK. Bechmann/

Hereditarii in Obern-Tröbra/ JCti & Antecessoris inclutæ hujus Academiæ longè celeberrimi, Consiliarii Saxonici Eminentissimi, Curiæ Provincialis nec non Scabinatus Assessoris Gravissimi,

Dn. Patroni ac Promotoris sui maximè Venerandi,

PRO LICENTIA

Summos in Utroque Jure Honores ac Privilegia DOCTORALIA ritè capessendi,

Publico Eruditorum examini submittit

JOHANN. BERNHARDUS Friese/

Bodenwerdensis.

Pridie Cal. Octobr. ANNO M.DC.LXXV.

JENÆ, Typis NISIANIS.

I. N. D. N. J. C.

THESIS I.



Ui Eloquentiæ Principem respicit Marcum Tull. Ciceronem pro Cluent. perorantem: *Mens & animus & Consilium & sententia civitatis posita est in legibus ut corpora nostra sine mente sic civitas sine lege suis partibus & nervis ac sanguine & membris uti non potest*, ille leges non tantùm Reipubl. utiles verùm adeò necessarias ut illis absque ne subsistere quidem possit, confitebitur. Legem dictam esse a *ligando* quod ad agendum obliget alii, quidam verò à *legendo* quod lex scripta esse debeat atque ideò prolata publice legi possit, ne quis de ignorantia illius queri excusationemque delicti prætendere possit, alii à *deligendo* legem derivari, quia e multis quæ fieri possunt consultatione aliqua legatur, arbitrantur. Posteriorem amplector, non quod prima aliquam solum legis partem exponat, vel secunda (quod quoque simpliciter verum non est) ex accidente scil. scriptura sit assumpta, cum talem accuratam rationem nomen rei impositum non efflagitet, rejicitur, sed quia posterior videtur convenientior.

TH. II. Legis maxima est vis & esse debet autoritas ut ea, *qua lege fieri probibentur si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur l. 5. C. d. leg. Item si adversus ea*, quæ lex præscribit matrimonio ineundo *aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptia, nec matrimonium, nec dos intelligitur § 12. Inst. d. Nupt. Is qui in fraudem creditorum manumittit nihil agit quia lex Ælia Sentia impedit libertatem pr. Inst. Quib. ex caus. man. non lic. Et qui filium in potestate habet, curare debet ut here-*

 dem

dem instituat, vel exheredem eum nominatim faciat. Alioqui si eum silentio præterierit, inutiliter testabitur pr. Inst. d. Exher. lib. Estque testamentum nullius momenti l. 1. ff. d. injust. rupt. irrit. fact. test. Quia etiam *contra legem facit qui id facit quod lex prohibet in fraudem verò qui salvis verbis legis sententiam ejus circumvenit l. 29. ff. d. leg. utroque modo si quid factum tam in fraudem quam in ipsa legis verba gestum ipso jure est nullum d. l. 5. C. d. leg.* Quare *si ita scriptum esset, si Aricia non nupserit interesse an fraus legi facta esset, nam si ea esset, quæ alicubi nuptias non facilè posset invenire interpretandum, ipso jure rescindi, quod fraudandæ legis gratia esset adscriptum l. 64. ff. d. Condit. & demonstr.* His non contrariatur quod jura vim fieri prohibent §. 1. *Inst. d. Interdict.* Et nihilominus contractus bonæ fidei *l. ult. C. de his quæ vi met. caus. gest. sunt,* & multo magis stricti juris metu à me initus sit ipso jure validus *arg. §. 1. Inst. de Except.* quia quamvis *si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui l. 21. §. 5. ff. q. met. caus. gest. erit* & sic ipso jure est validus tam stricti juris quam bonæ fidei contractus, quia lex non repugnat ejusmodi actui per modum annullationis sed punitionis uti loqui amant.

Th. III. In quos autem lex hanc vim atque autoritatem exserat, nimirum utrum tam in Clericos quàm Laicos nunc disquirere supersedemus, modo utrum etiam Princeps sit solutus legibus videbimus; Et quidem cùm nefandum & incestum Antoninum Caracallam ob cum matre congressum & Getæ fratris in sinu matris interemptionem ab incestu & parricidio, neque fœmina corruptiorem Sardanapalum à stupro vindicare, etiam Neronis Gratiarum erga Præceptorem Senecam actiones approbare nolimus, ideoque Principem juri naturali contravenire oportere prorsus inficiamur, sed subesse ei quemadmodum aliâs cives legi positivæ asserimus: Cumque nihil *sit tam congruum fidei humanæ, quàm ea quæ inter eos placuerunt servare,* jux. *l. 1. pr. ff. d. Pact.* Sic quoque contractus observare convenit Principi. Cum vero legis vis atque potestas duplici modo consideretur & quidem quatenus hominum actiones ad juris normam

mam componit atque dirigit; & deinde in quantum inſolentes animos ſuppliciorum metu frenat & legibus conſtitutis obſequi compellit vel pœnas in renitentes & refractarios conſtitutas perſolvere *l. 1. 2. ff. d. leg.* ideò priorem legis vim directivam, coactivam alteram Juris Doctores vocare ſolent. Quibus obſervatis quoad vim legum directivam Principem dicto modo legibus ſubjicio aſſignatis. Sed quantum quoad vim coactivam attinet eam in Principe non obtinere, neque hac ratione, cum ſuperiorem habeat neminem, legibus etiam naturalibus teneri arbitramur vid. B. Hahn. in obſerv. ad Weſenb. *n. 7.*

Th. IV. Supereſt itaque dubium de lege civili in quantum eis ſubſit Princeps? Reſpondet Ulp. *Princeps legibus ſolutus eſt, l. 31. ff. d. leg.* & certè legis ratio eſt expedita, cum enim Princeps ſuperiorem non agnoſcat, deeſt qui leges dare poſitivas poſſit, quia quoque juxta Ariſtotel. *l. 10. Eth. c. 9. lex habeat vim ad cogendum valentem, cum ſit ratio à prudentia & mente profecta*, non verò exiſtente cauſa & effectus ſine ea qui non ſubſiſtit ceſſabit. Nec ipſe Princeps legem fert ut ſe obliget ſed ſuos tantum ſubditos. Verùm lex *31. ff. de leg.* deſumpta ex Ulp. *lib. 13.* ad legem Juliam & Papiam, inde contendunt Principem ex mente Ulpiani non eſſe ſolutum legibus omnino omnibus, ſed ſolummodo Principem non teneri legibus Caducariis Julia & Papia. Verùm enim vero Principem ſolutum quoque legibus Caducariis veriſſimum eſt, inde tamen, cæteris legibus Principem ſolutum non eſſe deducere eſt nimis abſonum, cùm ſubſiſtant ſolutum eſſe legibus Caducariis & quoque ſimul aliis. Et ſanè nullum veſtigium eſt reliquum ex quo vel conjectura elici poſſit Principem tantum quibusdam & paucis illis legibus non eſſe vinctum. Non videntur rem ſatis expedire qui ex lege *ingenuum accipere debemus etiam eum de quo ſententia lata eſt quamvis fuerit libertinus quia res judicata pro veritate accipitur, l. 25. ff. d. Stat. hom.* idem cõtra diſſentientes evincere nituntur. Hanc quoq; legem inquiunt eſſe Ulpiani, habere tamen regulam non tantũ ad ingenuitatem ſed generalem ad omnes

 res

res judicatas pertinentem, quemadmodum hoc luculenter *l. 207 ff. de R. J.* commonstrare dicitur; verum quidem cum sit, posse, ut regula generalis speciali casui applicetur, accidere, verum idem hic ab Ulpiano præstitum, & regulam ad omnes res judicatas respicientem ad ingenuitatem coarctatam commode negatur, vero similius enim non pertinere hanc regulam ad perpetuam rei judicatæ auctoritatem, sed tantum, quomodo res judicata antequam retractetur vel nulla declaretur accipienda pro veritate indicare. Interim ut dixi contingit non raro ut generalis ratio facto speciali adjiciatur, ideo quoque ad alia commodè applicetur; *ita pignus in bonis debitoris permanere, ideoque ipsi perire in dubium non venit l. 9. C. d. pign. act.* quæ tamen ratio non subsistit in pignore, sed quoque ad alios contractus extenditur, *arg. l. 18. pr. ff. Commod.*

Th. V. Sed Principem legibus solutum esse ex ipso quoque loquendi modo perspicuum est, non satis enim congrua videtur locutio: *Si quid Principi relictum fuerit, qui vivo testatore vel eo mortuo antequam dies legati cedat, ab hominibus ereptus sit, id neque caducum, neque in causa caduci est, sed successori ejus debetur*, & tum addatur ratio quia Princeps LEGIBUS solutus est. Sed potius dicendum fuisset *quia lege Julia & Papia solutus est.* Solent quoque in testimonium vocari quæ afferuntur ex Dione Ulpiani coætaneo. Qui cum pluribus summam Imperatorum Rom. potestatem depinxisset, & pluribus subjecisset, eos munia Senatus, Magistratuum, Legum Senatu populoque volente & concedente in se traxisse, ita ut illis jus esset, arbitratu suo exercitum conscribere, pecuniam conficere, bellum suscipere, pacem inire & multa alia quæ nihil nisi Majestatem præ se ferunt peragere, & tanta quidem cum Majestatis veneratione ut si ab aliquo se læsos verbo vel opere existiment, eum tanquam scelestum occidere possint; mox addidit; *jam verò & aliud quoddam jus obtinuerunt nulli Romanorum antiquitus in omnibus rebus apertè concessum, quo vel solo & illa quæ diximus & alia eis facere licet. Soluti enim sunt legibus ut verba ipsa Latina sonant: Hoc est ab omni*

mni legum necessitate, sive necessaria legum observatione liberi sunt, nec ullis scriptis legibus obstringuntur. Et alibi de Augusto: Senatus eum omni legum necessitate liberavit, ut, quemadmodum à me dictum est revera sui juris & absolutæ potestatis, tam respectu sui ipsius quam legum, omnia quæcunque vellet faceret, quæ cunque nollet non faceret. Quæ cum sint manifesta ex eo quod Ulpianus speciali legi hoc adjecerit non potest concludi, Principem legibus omnibus solutum non esse. Non video insuper quid profuisset quod oratione expressit Imperator Pertinax, *se Tabulas non legitimè factas, in quibus ipse ob eam causam heres institutus erat probaturum; neque ex nuda voce, hæredis nomen admissurum: neque ex ulla scriptura, cui juris autoritas desit, aliquid adepturum.* Et secundum illud Severus & Antoninus rescripsissent. *Licet enim legibus soluti simus attamen legibus vivimus, §. ult. Inst. quib. mod. test. infirm.*

TH. VI. Ulterius procedendum, & demonstrandum venit, illud: *Princeps legibus solutus est* in aliis quoque non in sola lege Julia & Papia locum reperire. *Testamentum ex eo appellatur, quod testatio mentis sit pr. Inst. d. test. ord.* quod quatenus in genere sumitur codicillis etiam convenit, & quidem quod male alii per *l. 7. C. de Codicill.* improbant, etiam usu juris, nam & *imperfecta solemus testamenta dicere l. 2. §. 1. ff. test. quemad. aper.* ita acceptũ, est *voluntatis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult l. 1. ff. qui test. fac. poss.* in specie tamen consideratum a Codicillis discrepat, *igitur specialiter Codicillis instituendi ac substituendi potestas juris auctoritate data non est l. 7. C. d. Codicill.* Et est testamentum Codicillis contra distinctum vel *solenne* quod solennitatibus juris civilis observatis ordinatur *arg. rubr.* & *§. 3. Inst. d. test. ord.* vel *minus solenne* in quo solennitates juris civilis non observantur, ut est testamentum militare, nam illa *diligens observatio in ordinandis testamentis, militibus, propter nimiam imperitiam eorum, constitutionibus principalibus remissa est pr. Inst. de test. mil.* Varia autem sunt in solenni testamento observanda. Et quidem *imprimis animadvertere debemus, an is, qui fecerit testamentum habuerit testamenti factionem l. 4. ff. q. test. fac. poss.* Deinde

ut

ut per manus testatoris vel testium nomen heredis exprimatur §. 3. Inst. d. test. ord. l. 29. Cod. eod. quia testamenta vim ex institutione heredis accipiunt, & ob id veluti caput ac fundamentum intelligitur totius testamenti heredis institutio §. 34. Inst. de legat. Requiritur itidem *ut uno eodemque tempore, quod jus civile quodammodo exigebat*, tempore scilicet quo testamentum per æs & librã vigebat, *septem testibus adhibitis, & subscriptione testium quod ex constitutionibus inventum est, & ex edicto Prætoris signacula testamentis imponerentur §. 3. Inst. d. test. ord. Testes autem adhiberi possunt ii cum quibus testamenti factio est §. 6. Inst. d. t.* etiam passiva *arg. §. 5. d. t.* & plurima alia quæ pluribus exequi ratio instituti non desiderat. Quas solennitates Princeps observare non tenetur *arg. l. 19. C. de test.* quia *Princeps legibus solutus est d. l. 31. ff. d. leg.* Et ex his ulterius nunc fluit, Principis libertatem se extendere quoque ad alia, & in lege Julia & Papia ut alii arbitrantur non acquiescere.

Th. VII. Donatio genus acquisitionis est *pr. Inst. de don.* & inter vivos adeo approbata, *ut ad exemplum venditionis, constitutio*, quæ extat *in l. 35. C. h. t. eas etiam in se habere necessitatem traditionis voluit. Ut etiamsi non tradantur, habeant plenissimum & perfectum robur & traditionis necessitas incumbat donatori §. 2. Inst. de don.* Nihilominus tamen donatio inter virum & uxorem constante matrimonio interdicitur, *ne mutuato amore invicem spoliarentur, donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate l. 1. ff. d. don. inter vir. & ux.* Quod quoque ita extenditur paucis ut casibus exceptis donationes ejusmodi non infringantur: Interim tamen *Donationes quas Divus Imperator in piissimam Reginam suam conjugem, vel illa in serenissimum maritum contulerit, illico valere* sancitum *& plenissimam habere firmitatem* cum opitulatione quadam extrinsecus non egeant, *l. 26. C. d. donat. int. vir & uxor.* Quia Princeps legibus solutus est, & ideo ne quoque dicamus & donationes has ad legem Juliam & Papiam pertinere, necessario & pluribus legibus Principem solutum esse minimè diffitendum.

Th. VIII. Porro Hereditas quæ, nisi impropriè quis loqui amat non est jus successionis, cùm jus succedendi sive ex testamento sive ex lege, conveniat quoque heredi nondum etiam adita hereditate, hereditas vero aditione acquiritur *§. ult. Inst. de her. qual. & diff.* quæ vero separatim existunt distincta quoque esse nemo sanus facile ambigit. Ita Julianus minus accuratè loquitur quando ait: *Hereditas nihil aliud est, quàm successio in universum jus, quod defunctus habuerit l. 62. ff. d. R. J.* Cum enim hereditas successione mediante acquiratur, prius à posteriori diversissimæ esse naturæ non esse necesse ut multis disquiratur. Quod non satis commode *lege 3. ff. de bon. poss.* probatur utpote non ita clarè distinguente, cum Ulpianus bona accipienda esse universitatis cujusque successionem ait, quamvis voces subsequentes *qua succeditur in jus demortui* possint esse indicio: Et se habent res hereditariæ objecti instar, vel potius hereditatem acquisitionis constituimus objectum. Est itaque potius patrimonium universum cujusque defuncti. Addit Vinnius *Comment. Inst. tit. d. reb. corp. & incorp.* verba *cum oneribus* sed cum commoda non minus sint in hereditate *l. 3. ff. d. b. in. poss.* eorum potius debuisset facere mentionem vel minimum non omittere. Quamvis & illa duo jam modo esse superflua examinanti constabit. Hereditas verô ut paulo ante memini mediante acquisitione quæ, hereditatis alterius defuncti, sibi delatæ susceptio non incommode describi potest *§. 6. Inst. d. her. qual. & diff.* in alterius patrimonium redigitur. Quæ diversimodè fit pro diversa heredum qualitate & hinc emergente differentia *arg. rubr. Inst. d. her. qual. & diff.* Et quidem necessariis post mortem testatoris ipso protinus jure, per solam & nudam sui existentiam necessario hereditas acquiritur *§. 1. & 2. Inst. d. t. §. 3. Inst. de her. quæ ab intest. defer. l. 11. ff. d. lib. & post h.* salva tamen suis de jure Prætorio abstinendi facultate *d. §. 2. vers. sed his Inst. de her. qual. quoniam filii pudori parcitur, ut potius patris quam ejus bona veneant l. 28. ff. de reb. auct. jud. poss.* Extraneo verò non acquiritur, nisi aditione *arg. §. 5. & 6. Inst. de her. qual. & diff.* Hæc aditio vel nuda voluntate vel pro he-

rede gestione contingere potest *§. 6. Inst. de her. qual. & diff.* per procuratorem tamen hereditas acquiri non potest *l. 90. ff. d. acquir. vel amitt. her.* quia heres mandando ut Procurator adeat hereditatem voluntatem suam exprimit & ita ipse videtur adiisse hereditatem, quia *gerit pro herede, qui animo agnoscit successionem, licet nihil attingat hereditarium l. 88. ff. d. acquir. vel amit. her.* Verum, his nihil obnitentibus. *Est hoc praecipuum in Procuratore Caesaris quod & ejus jussu servus Caesaris adire haereditatem potest: & si Caesar heres instituatur, miscendo se opulentae hereditati Procurator heredem Caesarem facit l. 1. §. ult. ff. d. off. Procur. Caes.* Quae hujus sit ratio docet *lex 31. ff. de Legib. Princeps legibus solutus est.* Ex quo rursus nî fallor, Principem etiam aliis quam lege Julia & Papia solutum esse, perspicuum est.

Th. IX. Hanc controversiam alii ut accuratius tractent, distinctionem super materia Legis sumendam, opinantur, an ea sit universalis & communis ipsi Principi v. g. taxans omnium rerum pretia, ut vel quibusdam in locis fit, vel minimum fieri admodum facilè potest. An verò Principem non tangat, sed ipsum solummodo populum respiciat, aut ejus partem, uti est prohibitio venationis ferarum, & ne quis vel nocte vel interdiu arma ferat, & si quae sunt alia: Et si leges posterioris sunt generis ejusmodi Principem Legibus solutum esse & ipsi fatentur. Sed cum talia ne quidem controvertantur merito illa distinctio rejicienda est, & tantum discutiendum, Leges communes & universales quid in Principem valeant. Quoad Leges universales alia vicissim utuntur distinctione, & quidem quoad vim coactivam, lege non teneri Principem, quod poenam concernat. Poenam verò Principi non posse irrogari, non tantum quando illa à Judice constituitur, sed ne quidem quando ipso jure. Licet enim posterior alterius coercitionem non exigat, interim vis coactivae partem facit & quodammodo distinctionem agentem inter & patientem desiderat, imo & subditum qualis Princeps respectu sui ipsius esse non potest. Imo & ejusmodi vi Legis coactiva Principem solutum esse asserunt, ut non

non tantum quoad pœnæ executionem securus sit Princeps, verum & quoad obligationem ex vi Legis cum nec ejusmodi obligatio vires sumere posſit si superior desit qui eam inferiori & parenti imponat, qualis ratione Principis existit nemo. Verum pleraque omnia quæ hac ratione afferuntur cum subsistant, & nemo sit qui talia eat inficias, ideò ejusmodi copiose tractare non videtur operæ pretium. Multo tamen minus placet, distinctionem inter leges consideratas ut vigentes, & ut subditorum gubernandorum instrumentum, magnopere hic considerare, quia posteriore ratione res omni destituitur & difficultate & dubitatione; Et si quis asserat Principem tantum Legibus solutum quatenus ejusmodi instrumentum sunt, ille simul Principem Legibus solutum non esse confitetur.

Th. X. Certè non video quomodo *Bachov. ad Treutl. Disp.1.volum.1. thes.6. lit.A. & B.* sententiam ibi relatam defendere posſit ubi ponit Principes ex jure Gentium & ab ipsis subditis & propterea nec Dominos sed administratores, nec Rempublicam ipsorum, sed ipsos Reip. esse, & tamen eum Legibus solutum esse contendit. 1.Propter ipsam undecunque & in quoscunque Imperii & Principatus dignitatem & prærogativam, & hoc quidem confirmat quod Imperia pleraque quasi hereditario jure moribus gentium transmitti in successores credantur. 2.quòd cum conditione Principis pugnet,utpote quem ipsa status conditio supra vulgarem illam sortem extollit. Jam vero qui Legibus subjectus est, eum aliqua ratione superiorem agnoscere, nec ipsum verè omnibus superiorem esse consequitur. Sane qui concedit administratorem Reipublicæ Dominum non esse,ille simul statuit quod ejusdem Reipubl. subjectus sit nec illa dignitas atque prærogativa valet Administratorem legibus eximere. Et licet hæreditaria illa successio maximè obsit populi libertati, nihilominus tamen ex ea non licet simpliciter ejusmodi successorem omnibus legibus absolutum esse inferre. Et quod Princeps lege regia omnem potestatem acceperit, ut secundo satisfiat, non probat omnes Principes habere abso-

lutam poteſtatem, neque cum conditione Principis, ut ſuperiorem agnoſcat, pugnat, nec evincit a nomine deſumpta argumentatio. Quare ſi tales Principes ponamus de iis quod lege *31.pr.ff. de Legib.* continetur non prædicamus.

Th. XI. Sed ex ductu rationis videtur ſequi Principem legibus ſolutum non eſſe & legem *31.ff. de Legib.* intelligendam non ad literam, ſed quod poſſit ut homo malus negligere, legem eam ad obſervationem legis non poſſit compelli; Cujus momenti autem ſint hæc ex illis quæ ſuperius tradita ſunt. Patet clariſſime, & per ſolutionem in dicta lege non denotare pravam licentiam & diſſolutionem, patet ex dictæ legis ſequentibus verbis, ubi dicitur Auguſtam legibus ſolutam non eſſe ſed Principem ei privilegia tribuere. Illa privilegia non eſſe diſſolutionem quandam colligitur *ex l.6. §.1. ff. de jur. fiſci* ubi dicitur, *quodcunque privilegium fiſco competit, hoc idem & Cæſaris ratio & Auguſta habere ſolet.* Deinde rectam rationem dictare ut Princeps legibus ſolutus non ſit, recta autem ratio velit unumquemque id ſervare, quod alii præſcribit, cum ex ſapientis autoritate quisque legem pati debeat, quam tulit. Cui reſpondet edictum Prætoris, quod quisque juris in alterum ſtatuit eo ipſo utatur. *Hoc edictum ſummam habet æquitatem, quis enim aſpernabitur idem jus ſibi dici, quod ipſe aliis dixit, vel dici effecit. l.1. pr.ff. Quod quisque jur.* Sed hactenus nemo potuit illam rectam rationem quæ Principem legibus a ſe latis obligari dictitet, oſtendere. Quod ad edictum Prætoris attinet illud neutiquam ſpectat ad eum qui ſummam habet poteſtatem, quare neque legitima inde deducitur conſecutio. Dictum ſapientis eatenus Principem adſtrictum vult, quatenus ex eo magna in Rempublicam proficiſcitur utilitas & commodum. Hinc ex *Imperfecto Teſtamento legata vel fideicommiſſa Imperatorem vindicare, inverecundum eſt: Decet enim tantæ Majeſtati eas ſervare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur l.23.ff.d.leg 3. Et in legatis Principi datis legem Falcidiam locum habere meritò Divo Hadriano placuit l.4. C. ad leg. Falcid.* Item *ſi Imperator ſit heres inſtitutus poſſe inofficioſum dici teſtamentum, ſæpiſſimè reſcriptum eſt l.8. §.2.ff. de inoff. teſt.* Similiter ſi quandoque contigerit

cujus-

cujusdam legis veniam Principes à Senatu impetrasse, non eo pertinet ac si legibus obtemperassent, sed hoc referendum potius ad humanitatem & voluntariam submissionem, & quandoquidem illi plenum Imperium plenamq; potestatem haberent cujuscunq; eximendi legibus, se omnino liberos ab omni legum observatione non potuerunt ignorare; Et ita hoc factum non ex quadam indigentia & necessitate, sed ut magis populares viderentur & omnia agere ex arbitrio Senatus. Cum tamen nil certius quam quod tota rei series penes Principes fuerit; Ejusmodi itaque potestatis moderamen & temperies, operatur quidem totius populi favorem, tantum vero abest ut & simul subjectionem producat, ut potius jam partam potentiam confirmet. Ex ejus generis itaque ritibus & ceremoniis incautè quædam potentiæ diminutio infertur, cum ejusmodi externæ operationes plus ficti quàm veri sæpius habeant. Quamvis Principibus ad benevolentiam conciliandam maximo sint adjumento, nihil tamen juris populo in Principem largiuntur.

Th. XII. Solet præterea obstare, quod quemadmodum populus ipse antea suis legibus tenebatur, ita & Princeps cui & in quem omnis potestas collata est. Hoc ipsum solet concedi & clarius paulo hunc in modum proponi, Princeps legibus perinde nunc tenetur ut populus olim suis. At populus nunquam tenebatur invitus, ergo nec Princeps quoque tenetur. Minoris veritas inde videtur manifesta, quod leges non aliam ob causam acceperint vim quam quod populus Romanus eas receperit, & contra non aliter vim suam pristinam perderent quàm si postea vel alia lege lata vel tacito consensu populi abrogarentur. Et ita potuit quidem accidere ut leges tenerent invitos & reluctantes quatenus considerantur singuli de multitudine, sed ut omnes simul acceptos & consideratos tanquam nolentes & invitos obliget, ideo fieri non potest, quod populus universim acceptus leges condat easque infringat, has extendat & ampliet, illas limitet & coarctet. In universum itaque in populum nolentem atque invitum legis non erat vis atque po-

testas, sed spontè populus quomodo & quamdiu libitum erat legis potestatem suspiciebat, vel venerabatur. Quare si populus omnem potestatem Principi & in Principem contulit simul ejusmodi potestas in Principem est translata qualem populus habuit. Tali autem potestate nixus est populus qua voluntariè eligerent facienda & omittenda. Quare & Princeps non minorem obtinet potestatem, & sic voluntariè non invitus legibus vivit. Plurima quæ hactenus dicta sunt veritati consentanea esse quidem non repugno, ast tamen non potest ejusmodi Regia potestas cum populari omnino comparari: Quia aliud obtinet in populari statu ubi populus universus quidem Leges condit & alio respectu illis legibus obligatur, quod posterius in Principe cum non obtineat, dicendum argumentum ex populari statu desumptum in regio statu simpliciter non obtinere. Et ita multo rectius satisfit argumento proposito.

Th. XIII. Quod de voluntaria submissione Principis dictum, & quod non ductus necessitate Legibus vivat ità accipi debet, ut ad virum bonum & virtute præditum hoc transferri non possit. Voluntarie quidem & virtuosus quæ Lex imperat præstat lubentissime, verùm nondum colligitur & virum bonum solutum Legibus. Quia vir bonus ad ejusmodi peragenda potestate Legis obstrictus est, qualis obligatio in Principe neque obtinet, neque locum invenire potest. Princeps itaque quæ lex præscribit peragit voluntarie cum possit Legis præscripta negligere: Vir bonus etiam voluntarie secundum leges actiones suas instituit quia obligatus est legibus quibus obniti reformidat. Hi autem duo secundum leges vivendi modi plurimum distant, cum ille qui pro libero suo arbitrio agit, & qui lubens, ad quæ præstanda etiam invitus cogi posset si reluctaretur, efficienda subit, minime sint confundendi. Parum itaque ejusmodi vir bonus ratione voluntariæ modo expositæ operationis habet commune cum Principe qui legibus obnitens neque compelli potest illis protinus non obligatus. Possunt itaque in Republica cui Unus cum summa potestate præest,

multi

multi existere,qui prorsus non reluctantes præscripta legis quæ eos in obsequium astringit, admittunt. Unus tamen solum,qui quod Lex præscribit communis negligere potuit, reperitur, cum aliis subditis propria vi ac potestate ex bene placito Legis præscripta explens.

Th. XIV. Consideratur Princeps præterea quibusdam quatenus subesse dicitur vi legis irritanti. Sed tamen quatenus irritatio ejusmodi omnino in pœnam tendit veluti quod Simoniacus contractus nihil operetur illa Principem non concernere statuunt, & licet ità per Simoniam alicui contulerit beneficium non esse illam collationem nullam sed habere vires. Sic Principis nuptias cum consangvinearũ quadam intra gradum suæ legis prohibitum initas subsistere re itidem affirmant. Sed quando vis legis irritans tendit in securitatem justitiæ illa irritatio secundum hos quoq; Principes comprehendit: Cum talis effectus tendat in bonum publicum & commune,cujus respectu ut Princeps cum toto corpore concordet rationem postulare tradunt: Hanc itaque ob causam Testamento imperfecto relicta Principem repellere asserunt. Verùm vanam esse hanc distinctionem & nulla ratione Principem suis legibus teneri ex traditis cum sole clarius sit,non placet semel tradita inutiliter repetere, & manet firmum atque stabile Principem Legibus Civilibus à se latis solutum esse.

Th. XV. Itaque satis puto constare quatenus & quibus legibus solutus & quibus comprehendatur, quo ipso tamen neutiquam existimandum ac si perinde esset, sive observet Leges Princeps a se latas sive eas transgrediatur. Certum enim est plurima sæpe licita esse quæ tamen minus conducunt. Quare utile admodum si Legibus suis Princeps se sponte submittat, & quod ab aliis observari vult custodiat, quo ipso facilius subditi continebuntur in officio & reddet morigeros ita Princeps,dum imitantur quod Princeps facto ipso comprobat,juxta illud Poëtæ:

In commune jubes siquid,censesque tenendum,
Primus jussa sibi: tunc observantior æqui

Fit

Fit populus, nec ferre negat cum viderit ipsum
Autorem parere sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum. Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.

Th. XVI. Quæstione hac mota descendimus cum aliis ad Hypothesin & utrum Imperator Rom. German. adhuc illa potestate gaudeat. Sunt qui Legum vincula ei innectunt. Non desunt etiam qui cum omnibus legibus eximunt. Posteriori qui opinioni favent, in eo maxime sunt occupati, ut demonstrent summam Reipublicæ potestatem penes Imperatorem esse, ex quo postea absolutam legibus potestatem eruunt. Quæ quoque vera sunt & supra à nobis traditis repugnant nihil imo concordant: quare paucis utrum Majestas soli Imperatori conveniat, non quidem pro dignitate sed breviter evolvendum erit. Utrum autem unus an vero plures Reip. Rom. Germ. subjectum constituant in hunc usq; diem non satis diffidentes inter est compositum. Inter omnes certè expeditum, principale illud subjectum Reip. esse, partes vel Majestatis jura penes quod resident: Sed quis ille sit in nostra Republ. hactenus acutissimorum aliàs hominum torsit ingenia. Plures fere eorum præstitere non amplius, quam quod placuerit de lana fere caprina concertasse. Non ac si hujus rei disceptatio omni careret emolumento, certe enim cum dissimilis essentiæ Reip. diversissime debeant conservari & gubernari non magis providebit ille statui, quam nauclerus aquilonem notum & Zephyrum Eurum statuens suamque juxta opinionem vela tendens; sed quod fere de subjecto non supponente fuerit dimicatum.

Th. XVII. Rationes quibus quidam moti Imperatori soli Majestatem tribuunt sunt sequentes: nimirum quod jura Majestatis & summæ potestatis sint penes unum & solum Imperatorem lege regiâ in eum translatâ quæ lex nec revocata sit nec revocari potuerit, cum abdicativè & ut loquuntur privative non communicativè omne suum imperium & potestatem pop. Rom. principi & in principem concesserit

ceſſerit *§. 6. Inſt. d. i. N. G. & C.* Cum inſuper conſtet primis temporibus Remp. Rom. fuiſſe ſimpliciter Monarchicam: & præterea quod populus & Princeps communia jura Majeſtatis habere non valeat, cum non detur ejusm. Reipubl. mixtura. Quæ cum ita ſint opinioni ac præſumtioni illi quod Imperator adhuc talis hodie qualis tempore præterito & legis Regiæ ſtandum donec probetur contrarium. 1. Probari id omnium populorum conſenſu, cum omnes Imperatorem noſtrum Rom. Germ. Monarcham ſalutent, ex quo unum & quidem ſolum Imperatorem Rom. Germ. Reip. noſtræ ſubjectum eſſe ſponte fluit. 3. Cum Imperator nullius imperio teneatur & nullum niſi Deum recognoſcat ſuperiorem ad quod probandum Electorum decretum adverſus pontificem anno 1338. promulgatum allegatur unde & caput imperii appelletur. 4. Quod omnibus & ſingulis de plenitudine poteſtatis imperet idque ſub amiſſionis privilegiorum banni & vitæ pœnâ. Ejus autem mandatis 5. legitime promulgatis omnes & ſinguli parere debeant. Quia omnium ordinum Dominus clementiſſimus appellatur. 6. Quia omnes ordines imperatori tanquam Domino & ſummo Magiſtratui obedientiam ſubjectionemque debeant; idque in ſubſcriptione ſuarum literarum fateantur. 7. Quia imperatori præſtetur homagium quod eſt fundamentum Superioritatis ex parte recipientis, ex parte autem præſtantis fundamentum ſubjectionis. 8. Quia proceres Imperii ſine ulla exceptione fidelitatem ei præſtent.

Th. XVIII. Primum fundamentum non placet cum quibusdam legis regiæ exiſtentiam inficiantibus infirmare, cum multa ab eruditis veterum ſcriptorum adferantur teſtimonia, quæ figmentum legem regiam non eſſe ſatis comprobant: & quamvis primâ hujus legis origine non regia ſed forte imperii nomine Regis populo inviſo, venerit; inde tamen non probatur lege regiâ poteſtatem principi & in eum non eſſe collatam maxime cum & Tacitus 4. Hiſt. *Senatus cuncta principibus ſolita Veſpaſiano decernit*, nihilque efficiunt magis quam ut de nomine diſceptent. Cum non minus omne

mne

mne imperium pop. Rom. contulerit non placet quoque dicere principem absolutam potestatem non accepisse, sed tantum unâ cum populo eam obtinuisse: utut non diffitear callido sæpe consilio principum permissum ut Senatus scita conderet, ut sub specie non mutatæ Reip. potestatem noviter occupatam stabilirent: quâ quoque confirmatâ satis, Senatus auctoritas non plane non evanuit. Sed quod regia illa Imperatorum Roman. & ampla potestas jamdudum collapsa in nostra Republ. vix possit defendi, neque ejus destructionem multis incedo demonstratum: cum prorsus post Henricorum tempora potestas illa diversam induerit faciem. Quare argumento illo nihil præterea probant quam similiter ex præcedentium Danicarum rerum facie modernum statum metiri & Regis potestatem nobilium auctoritate limitatam fingere. Quod autem ab omnibus simpliciter vocetur Monarcha, ut ad secundum respondeamus, non probat summam potestatem penes imperatorem esse, conclusioni enim ex nomine deductæ quanta insit firmitas est satis notum, neque etiam ab omnibus ita populis secundum saltem realia in Monarcharum serie collocari testis est Bodinus Rempubl. nostram Aristocraticam arbitratus. Nec itidem omnibus pristina facies mutata perinde perspicua est, adeo ut facile contingat, nomen remaneat res ubi ipsa dudum modo ne extitit quidem. Neque tertium Monarchiam rectè tuetur. Licet enim superiorem non agnoscat, inde tamen hactenus non deducitur. Ergo penes Imperatorem summa potestas in Imperii Rom. Germ. cives. Minus tamen placet cum personato quodam Aut. Imperatorem Imperii statibus submittere uti postea detegendum erit. Quæ autem quarto loco adferuntur tanti non sunt momenti ut unius imperium evincant, partim cum allata repugnent eis quæ tradit dictus Aut. part. I. C. II. partim quæ à solo nomine dependet Majestas verè talis non sit. Quæ sexto loco adferuntur ex hactenus expositis perspicua sunt, ex nudis ejusm. ceremoniis cum non colligenda ulla submissio vel Imperium. Et unâ fidelia duos ut dealbem parietes unâ eâdemque responsione

po-

posteriores adhuc quæ supersunt infringere conamur. Nolumus quidem in eorum descendere opinionem, qui cum ampliorem proceres Imperii potestatem possidere intuerentur quam quæ communiter in eis qui Magistratuum nomine venire solent, conspicitur, & dependentiam tamen impedire quo minus eos Magistratibus præferrent ejusmodi dependentiam rapuerunt non tantum in controversiam, sed & omnino rejecerunt, eâque remotâ Majestatem vel potestatem ei proximam concesserunt: quamvis fassi quod principes ditionibus suis innixi subjecti territorii ratione in Comitiis suffragia ferant immemores jus territoriale principum beneficium feudale esse ab Imperatore dependens, cum quibus quomodo eorum assertio subsistet? neque verò concedimus ut quemadmodum Imperatori in universo orbe summa potestas, sic quoque Imperii proceribus in suis territoriis hoc sensu competere, ac si & hi independentem quandam potestatem sibi vendicarent. Sed his non attentis cogimur fateri nomen Magistrat. Germ. principibus incongruè convenire, cum eorum potestas Majestati nil deroget; si enim contingat ut comiter revereatur solummodo alienam Majestatem, abs quâ beneficio feudali quicquam consecutus est, illi sane multo minus est deneganda summa rei series quam qui in alterius clientelam se contulit de Majestate sua nil remittens. Quare Imperii principes ab omni dependentia non libero, quam tamen eos Magistratus constituere prorsus inficior. Inde sponte fluit male Magistratum dependere negari uti & omnem in Rep. dependentiam facere Magistratum cui est liberum quorumlibet agendorum arbitrium.

Th. XIX. Unum restat nobis propugnaculum occupandum, quo securi videntur, calamum pro sententia & Scripturæ sacræ conformi & etiam ab eadem inculcata stringere, quare forte majori quam in cæteris operâ dimicandum ne sub hoc sepulti jaceamus. Depromitur autem argumentum illud è somno prophetæ Danielis tum etiam Nebuchodonosoris. Verùm ex somnio illo multos elicere

quæ tamen veritati minus videntur affinia, & vel prorsus ad Romanum Imperium non pertinere cum & ante Alexandri tempora Assyriorum, Babyloniorum, Medorum & Persarum amplissimæ viguerint Respublicæ, imo & nunc vigeat Gallorum & etiam vel minimum viguerit Hispanorum potentia, uti & Turcicum Imperium, Persarum & Tartarorum, vel minimum ejusdem Imperii æternitatem non polliceri jam dudum eruditiores notarunt, & certè cum tantus sit circa hoc vaticinium Doctorum dissensus non posse inde firmum argumentum elici, judico vel Monarchiam Romanam (si hæc nostra adhuc sit) non intelligi eam ubi unitas subditorum requiritur, sed augusta præ ceteris eminentia.

Th. XX. Alii remissius sua peragere censentur dum Imperatorem Romanum unicum quidem Reipublicæ Romanæ subjectum tuentur, administrationem tamen pluribus inhærere & quidem optimatibus ut adeo Aristocratica exsurgat administratio, quam quidem sententiam probabilissimam plerisque visam suo talo stare posse largiuntur hujus sententiæ sectatores, modo Imperii ordines nudi provinciarum suarum essent præsides, & non haberent potestatem ordines aliam quam Magistratus sibi tribuunt, ut ut perpetuam etiam hereditariam; sed cum suo nomine concesso officio fungantur, & illud *Dei gratia* nomini suo præfigant, & in diplomatibus non minus quàm nummismatibus circumferant, abhorrendum videtur à solo administrationis nomine cum talia eminentiæ potius quàm subjectionis sit argumentum. Verùm hæc si benè exposita sunt quidem talia quæ reddere possunt rem ambiguam, verùm cum etiam ipsi Magistratus proprio jure soleant multa exercere quo ab iis qui mandatam jurisdictionem habent discrepant, ideo non statim videtur verum quod qui proprio jure aliquid exercet, alterius potestati sit exemptus. Si tamen ita accipias ut ita proprio jure exerceant & talia quæ non solent Majestatis absque dignitate tribui quo etiam collimandum, tum dictis non exigua inest vis atque robur, uti jam tum pluribus reddidimus manifestius. Th. XXI.

Th. XXI. In hanc sententiam qui irrumpunt sedulo cuilibet inculcant ne quis rempubl. ejusque administrationem commisceat, quod quoque necessarium cum hanc sententiam si speciosa verborum dulcedine non esset illita facilè quisque aversaretur, admirandum quod etiam viri acutissimi ægre ferant quòd Bodinus glorietur se primum hujus distinctionis inventorem esse & hanc laudem atque gloriam quas ipse sibi tribuit a Bodino amovent, Aristotelem diu ante Bodinum id præstantem protrudentes in medium, opponunt Bodino expressa Aristotelis verba quæ *lib. 4. pol. 5.* extant; *Opus autem nobis clam non esse, multis locis usuvenire ut Respubl. quæ legibus constituta est non sit popularis: Moribus autem & institutis vita populariter administretur.* Simili autem modo contra *apud alios, rempubl. legibus constitutam esse magis factam ad populi utilitates: Institutis verò & moribus potius regi à paucis.* Ad quem locum Piccartus commentatur: Notate quam vel improbe vel imperitè multis locis Bodinus Aristoteli objiciat ignorantiam discriminis inter statum & gubernationem, quam, inquit, ei matrem fuisse multorum graviorum errorum. An non enim expresſè hîc Aristoteles distingvit inter πολιτεύεσθαι i. e. gubernationem & inter Reipubl. formam sive statum;

Th. XXII. Ex allatis non poterit cuiquam latere Doctores quorum thesi præcedenti feci mentionem fovere gubernationem inter & ipsam Rempublicam intercedere differentiam, in eo duntaxat sibi invicem obnituntur, quod Bodinus alios sibi debere hujus distinctionis originem velit quam tamen cæteri Aristotili tribuunt. Quare non tam distinctionis hujus quàm ejus originis adferunt Aristotelem. Et quamvis ipse non diffitear lubricum maximè esse agumentum administrationem à Republica ipsa diversam, non amplecti quod hujus Arist. non meminerit, quod tamen ex Aristotelis allatis verbis deduci possit, quod diversitati illi opitulentur eruditiores ad *d. l.* non potuerunt eruere. Nam certum est multis locis usu venire ut Respubl. quæ

legibus conſtituta eſt non ſit popularis, moribus autem & inſtitutis vitæ populariter adminiſtretur & vice verſa evenire poteſt Rempubl. legibus conſtitutam eſſe magis factam, ad populi utilitatem inſtitutis verò & moribus potius regi à paucis, verum enim verò quis argumentandi artificii tam imperitus qui poſſit ex altera hypotheſi Rempubl. quæ quoad formam popularis non eſt interim popularirer adminiſtrari: Et popularem quoad formam Ariſtocraticè vel alio modo gubernari. Rectius hoc deducitur vel potius jam illatum eſt poſſe contingere ut Reſpublica inſtituatur & habeat leges fundamentales ſecundum quas ſi quis vellet judicare ejus formam poſſet dicere ejusmodi ſtatum popularem non eſſe, quando autem adminiſtrationem juxta quæ ſit legibus iisdem neglectis non poſſet non dici popularem. Et aliquando legibus fundamentalibus caveri ut quælibet peragenda à libero univerſi populi arbitrio dependeant, interim tamen his non attentis ſummam Reipubl. eſſe in manibus paucorum & ità conſtat Ariſtotelem licet ibi non neget inter gubernationem & Rempubl. ipſam intercedere quantam diverſitatem, multò minus tamen ibidem ejusmodi diverſitatem introducere ſatagere, quamobrem tam malè Bodino hac de cauſa iraſcuntur quam quod hoc loco ſuam opinionem protegere deſudant.

Th. XXIII. Aliquid tamen præſidii atque ſpei hoc in loco reliquum eſſe fortean promittunt dicto l. citata ſtatim ſubſequentia: *Συμβαίνει δὲ τοῦτο μάλιστα μετὰ τὰς μεταβολὰς τῶν πολιτειῶν.* i. e. contingit autem hoc maximè poſt mutationes Rerumpubl. in quibus poteſt notari verbum *Maximè* & cum priora textus Græci verba theſ. 7. allata *ὅτι πολλαχοῦ συμβέβηκεν* vertantur quibusdam ſæpe accidere verbum quoque *Sæpe* penitius conſiderant, cujus anſam dedit. Quod quidam Commentatorum ideo legibus ſæpe fundamentalibus adminiſtrationem non eſſe conformem, quod qui mutarunt Rempubl. nolint eam immutaſſe quare non rejectis legibus fundamentalibus novam formam ſtabilire laborant. Sed hanc expoſitionem videntur expreſſa verba refragari, cum

cum primò dicatur *sæpe* accidere, & deinde hoc fieri *maximè* post rempubl. mutatam. Verum videntur Commentatores id agere, ut tantum ostendant per administrationem Aristotelem non intelligere actum à Republ. distinctum, quo probato perinde erit iis utrum hoc maximè fiat post mutationem sive etiam alià ratione, quæ ità cùm nos non feriant pro dignitate ea discutere non placet.

TH. XXIV. Posset inde constare administrationem quemadmodum actus secundus ab actu primo differt, à Republ. distingvi. Utpute si Regi infanti Tutores octo vel plures constituerentur qui æqualiter Reipubl. donec ipse esset idoneus æqualiter præessent, ità ut Rege penes quem Majestas tamen maneret etiam dissentienti imperium administrare possent, ibi sole videtur clarius ibi Monarchiam quidem existere cum penes unum summa sit potestas, & tamen cum procul dubio sit penes optimates administratio quoad eam erit Artstocratica. Quod tamen non videtur procedere juxta Hugon. Grotium qui quando ejusmodi administratio irrevocabiliter usque dum infanti absoluta rerum series possit relinqui Tutoribus vel Curatoribus committitur usque ad illum terminum Curatores summum habere Imperium contendit.

TH. XXV. Contra Grotium insurgit quidam Neotericus h. m. *Aut enim penes Reges pupillos*, furiosos, captivos, &c. Majestatem non esse, dicit Grotius, aut esse concedet. Si prius eàdem ratione nec dormienti aut ægroto Principi Majestatem competere dixero, sed iis potius qui curam Reipubl. Interea habent. Si posterius Majestatem duobus competere & sic divisam, statuet quod asserendum non est, nisi aut in regno quod non est patrimoniale, deficiente publica lege populum; aut in patrimoniali patrem vel propinquos, non tam Curatores regni constituisse quàm illud inter pupillum furiosum &c. & Tutores divisisse, juxta affirmare velit. Quod argumentum tamen solet in controversiam prolabi, cum imperium enim tunc dicatur divisum cum quilibet inconsulto altero aliquam ejus particulam proprio jure exerce-

re

re poteſt, quo poſito nihilo magis procedendi modus ſi penes Regem, pupillum furioſum &c. & ſimul etiam penes Curatores vel Tutores ejus eſt Majeſtas, tunc ſequitur Majeſtatem inter eos diviſam, videtur legitimus cum potius inde Majeſtatem eſſe penes ſolos Tutores vel Curatores deducatur, penes pupillum vel adultum ad gubernandum tamen ineptum nulla pars diviſa eſſe poſſit cum nullam ejus particulam exercere valeant inconſultis Tutoribus vel Curatoribus. Et poteſt addi quod illa diviſio ſummæ poteſtatis ita facta ut eodem tempore ſit penes plures cordatioribus jam dudum fuerit ſuſpecta. Succeſſiva tamen diviſio, qua res in ſe integra permanet, ratione tamen ſubjecti ſolummodo diviſa eſt. Quare forte rectius ita potuiſſet inſtitui argumentatio. Si penes Regem pupillum, furioſum &c. & ſimul etiam penes Curatores & Tutores ejus eſt Majeſtas tunc ſequitur Majeſtatem quoque eſſe penes Tutores & Curatores & non duntaxat penes unum Regem, pupillum, furioſum &c. & per hoc mutabitur Monarchia in Rempubl. ubi penes plures eſt ſumma poteſtas, quare rationi nihilominus *præd. Aut.* argumenti magna erit vis, non minus hoc argumentandi modo inſtituto conſequens erit abſurdum & propter illud antecedens, quare non erit penes Tutores vel Curatores ſumma poteſtas ſed nudum ejus exercitium & adminiſtratio à forma ſua quantum quantum diverſa. Et ita eviciſſe videntur cum gubernationem cum forma ipſa haud idem eſſe, quod non eluceret, ſi Tutores & ſimiles Majeſtatem obtinuiſſent; quo etiam conceſſo nihilominus gubernatio ab ipſa forma diſtincta erit, cum ratione pupilli quoque Majeſtas exerceatur à Tutoribus & non duntaxat quatenus illa penes Tutores eſt.

Th. XXVI. Hæc ut ut ſpecioſa roboris tamen in quantum probare nituntur gubernationem ab ipſa forma diſtinctam eſſe, eis tribuo parum vel potius nihil quid ergo de illis ſentiendum paucis indicaturus ſtatim ab initio quidem deficio ab Hug. Grotio Majeſtatem Tutoribus & aliis concedente, & nolo firmam aliàs opinionem illis quæ veritati

non

non congruunt tueri. Et ipse non repugno majestatem penes regem pupillum, furiosum &c. esse, non verò penes Imperii Curatores licèt enim ipse Rex ob fragile judicium actu & revera non possit gubernare interim tamen prudenti hominum judicio omnia ea quæ aliàs Rex peragere creditur, & sunt ejusmodi administratores solummodo instrumenti vice, cùm & illi nihil agant vel alio modo quàm si hoc à Rege ipso esset pronunciatum, nam & sunt & fatentur ipsi nudi Tutores & nihil præterea, quare adhuc tam diu stet suo talo gubernationem indistinctam esse à Republ. donec dissentientibus firmius paulo suppetat argumentum, quo tum evincant Monarchiam Aristocraticè gubernari, quod etiam *prælaud. Viri* argumentum censuræ subjiciatur eo quod licet sit summa potestas penes Regem pupillũ &c. inde tn. Majestatem divisam esse non deducatur, quod cum Rex pupillus &c. inconsultis nihil perficere queat, quod tamen divisam Rempublicam constituat, in sententia Rempublicam inter & administrationem distinguente in actu primo intelligendum est, in sententia verò contraria quid oggerendum jam tum dixi. Quo jure etiam quibusdam Neotericis novitatis potius quàm veritatis studio ductis divisio summæ potestatis quæ inter plures diversos eodem tempore conceditur exosa sit, alibi dicenda aperient. Consequentia nihilominus hæc Majestas duobus competit sc. Regi pupillo ejusque Tutoribus. E. est divisa, non distat ab hac est animal Ergo homo. itaq; accuratior ejusmodi instituetur argumentatio, Majestas est penes Regem pupillum & Tutorẽ E. vel penes plures divisim, vel indivisim: nisi mavis generalius divisam potestatem accipere, quatenus idem est quod multis convenire sed tum erit homonymia removenda. Si quæ fortè restant ejus generis sunt ut ex hactenus traditis spontè collabantur.

Th. XXVII. Quæ hactenus producta sunt sufficienter demonstratum eunt adversam sententiam inter Rempublicam ejusque gubernationem distinguentem firmis non niti fundamentis, id tamen nihilominus conantur ut ratio-

nes sibi adversas funditus evertant; cum itaq; Limnæus conformitatẽ administrationis cum Republ. ostendit & administrationem formæ suæ & administrantis naturæ conformem esse debere cum sit actus ejus, de administratione quæ fit nomine proprio id verum esse non adeo repugnant, quæ autem fit alieno nomine hoc omnino fallere, adeo quidem ut demum operationes quæ immediatè ab eo qui scil. potestatem habet promanant formæ sint convenientes, non verò mediatè: verum cum & ab iis quæ instrumenti vice sunt proveniant idem certe de illis judicium. Deinde hoc argumentum Limnæi in naturalibus non in moralibus procedere, sed cum de hoc ipso sit instituta quæstio, illud ostendendum fuisset, nec sufficit in re ardua vana verborum cumulatio, & certè quemadmodum fortes non nisi fortiter ita nec Monarcha non nisi Monarchicè valet gubernare, nolumus tamen inter fortem & Monarcham ideirco omnimodam æqualitatem constituere, cum in illis non levis sit diversitas, quod notatu dignum existimo ne quæ habitui accommodantur, Reipubl. etiam accidere arbitrentur; Quibus non obstat quod pater non semper patrie, filius filialiter, servus serviliter, ingenuus ingenue operetur.

Th. XXVIII. Licèt hactenus demonstratum sit argumenta allata tantum roboris non continere, ut administrationis distinctam à Republ. naturam evincant, non tamen placet nunc in argumenta adversariorum vim ac valorem diutius inquirere. Sed Limnæi sententiam multo esse aliorum probabiliorem defendo, maximè cum existimem non posse contrarium sine contradictionis vitio subsistere, cum juxta omnium ferè opinionem Respubl. sit τάξις τῶν ἀρχῶν. Quare sententia illa statuens Rempubl. penes unum esse, administrationem verò penes plures contradictionem implicat quare illa multò minus toleranda quam quæ simpliciter summam potestatem penes unum esse asserit.

Th. XXIX. Sed ne his inhærentes instituti simus immemores prolixius rem examinare non arridet, sed paucis solummodo indicare Imperatorem Romanum nec habere

neque

neque sibi summam in Republ. potestatem arrogare jure posse. Videtur interim proposito nostro conducere si ex *Arist. lib. 4. c. 14.* tres Rerum publicarum omnium partes esse notemus *Senatum Magistratum* & *Judicium.* Et Reipubl. rationem potissimum à Senatu dependere ex traditis *Arist. 3. Pol. 6.* Ad Senatum autem pertinere de bello & pace curam, potestas fœderum, condendarumque Legum. Statuendi de morte & publicatione bonorum civium, quæ ipsa non soli Imperatori convenire si ostenderimus, simul potestatem summam penes Imperatorem non esse cuique constabit. Quid præcise justitia belli exigat quæque ejus sit necessitas & utilitas quemadmodum à nobis non consideratur, ita tamen certum esse sine belli cura Rempublicam salvam esse non posse: Quæ enim esset felicitas perpetuo metu torqueri & excursioni hostium exponi. Hæc belli cura olim quidem ad Imperatorem pertinuit hinc *Nov. 105. pr.* Imperatores piissimi dicuntur haberi bellandi potestatem. Hodie autem potestas illa penes solum Imperatorem non est sed penes proceres & Imperatorem indivisim, liberum enim illud arbitrium expressis verbis constitutionum imperii restringitur. Et cavetur ne Regia Majestas ullum bellum sine Electorum Imperiique ordinum consensu suscipiat Handhabung des Friedens zu Wormbs Anno 1495. Tit. die Königliche Majestät sollen keinen Krieg anfahen. *Gaudeant* (omnes & singuli Electores, Principes & status Romani Imperii) *sine contradictione jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii præsertim ubi &c. bellum decernendum habet Instr. pac. art. 8. §. gaudeant.* Potestas itaque illa belli gerendi non tantum nunc Ordinibus una cum Imperatore competit, verùm & ante hæc tempora ad eosdem simul & indivisim sumptos pertinuit. Potestas pangendi pacem quæ finis belli est ut habet *Arist. 7. Pol. 15.* non aliter quā belligerandi competit uti constat ex R. J. d. An. *1512. §. Item,* Ob uns *Instrum. pac. d. l.* hæc continet: *Nec non ubi pax aut fœdera facienda aliave ejusmodi negocia peragenda fuerint, nihil horum aut quicquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi de Comitiali, liberoque omnium Imperii*

 statuum

ſtatuum ſuffragio & conſenſu. Quare itidem non credendum ac ſi ejusmodi forma nunc primum cepiſſet ſed etiam quod antea obtinuerit. Quod fœdera, quæ cum exteris intercedunt attinet, patet quod quoque non jam pridem hoc jus fuerit commune Imperatori & Ordinibus Imperii Handhabung des Friedens zu Wormbs *Anno 1495. d. tit.* die Königliche Majeſtät. Sed etiam ex verbis ex *Inſtr. pac.* adductis conſtat quod etiam hodie ſine Comitiali Ordinum conſenſu fœdus faciendum nullatenus concedatur. Legum ferendarum poteſtatem non minus penes Proceres Imperii ſimul exiſtere docent Receſſus Imperii de Anno 1495. *pr. verb.* Mit zeitigem Rath unser der Churfürſten / Fürſten / und gemeiner Verſamlung auff unſerm und des Reichstag zu Wormbs aufzurichten und zu halten / fürgenommen und geordnet. *Et Receſſ. 1512, pr.* Uns mit des H. Reichs-Ständen / und Sie mit uns / nachfolgende articul und Meinung / als ein Chriſtlich Corpus und Verſamlung / gegen und mit einander vereinget / verpflichtet und vertragen. Eo ſpectat quod eſt in der Handhabung des Friedens zu Wormbs *Anno 1495. Tit.* Was mit dem gemeinen Pfennig erobert wird. Hodie Imperatores in Capitulationibus ſuis jurare tenentur ſe nullas Leges ſine Ordinum conſenſu condere velle. Clariſſima quoque ſunt verba *Inſtrumenti Pac. Art. 8. §.* Gaudeant verb. *præſertim ubi leges ferendæ vel interpretandæ.* Ad Legum condendarum poteſtatem de religione conſultationem referunt. Verùm omne jus in Religionis negocio non tantum Pontifici ademptum ſed neque in Imperatorem translatum *R. J. de Anno 1555. §. 15.* cui contravenire ſanctiſſime quoque promiſit *d. Rec. § 19.* & Ordines Imperii Proteſtantes in cauſa Religionis ſuperiorem agnoſcunt neminem. Et ſic Ordines Imperii quoque Religionis curam gerunt. Sed cum hoc eis convenire ut talibus arbitrer eos duplicem perſonam ſuſtinere non admitto ſed hoc Eccleſiaſticis Electoribus duntaxat tribuo. Quod cauſas ordinum attinet quod illæ antiquitus non alibi quàm in Comitiis fuerint deciſæ notant hiſtoriarum peritiores. Et Fridericum Secundum Cæſarem damnaſſe quidem filium aſt non niſi ex ſen-

tentia

tentia septuaginta Principum in Comitiis referunt nixi fide & testimonio Aventini. Carolum Quartum controversiam de Electorali dignitate inter Palatinum & Bavarum consensu omnium Electorum decidisse,& exempla plura afferuntur alia, quæ tamen examinare accuratius institutum nostrum vix patitur. Interim tamen & hoc certum, quod quandoq; contigerit ut Imperatores propria autoritate Proceres conscripserint. Quare Capitulationi Ferdinandi Tertii inseruerunt ne ullus posthac Elector aut Princeps Imperii sine illorum consensu proscribatur. Quæ quoque nunc non enucleabimus accuratius.

TH. XXX. Possem quoque negocio facili multo plura in medium proferre, quæ non minus quoque summæ potestatis non exiguam partem constituunt. Sed subsisto quoniam illa jam tum allata penes Imperatorem Romanum summam potestatem non esse sufficienter edoceant. Et ita argumentum illud quo Imperatorem solutum legibus esse inferre conantur protinus collabitur, credunt enim ideò Legibus Imperatorem non dirigi quod summam in Republica potestatem habeat. Nego itaque penes solum Imperatorem esse in Republica Romano-Germanica potestatem. Nego tn. nihilominus Imperatorem Romanum Legibus solutū non esse, ratio negationis ex supra traditis repetenda est. Et certe licet communicativè summam potestatem possideat, nihil tamen luce meridiana est clarius Imperatorem superiorem qui ei Leges dare possit non cognoscere, ut miror, quod in tantum quidam collapsi errorem ut eum submittere Ordinibus non vereantur. Petunt autem argumentum ex Constitutione Imperatoris quæ procedit ab Imperii Ordinibus, palam vero esse constituentem constituto esse superiorem, adeoq; merito Imperatorem Ordinibus subjici. Verum cum hoc argumentum forte firmum sit ubi effectus perpetuo pendet a voluntate constituentis non debet ad ea quæ initio sunt voluntatis postea necessitatis trahi.

TH. XXXI. Sunt quidem plura alia quæ possent hîc tractari, quæ verò examinanda temporis excludit penuria.

Hoc unum ſtatuentes quod revera Imperator reſpectu totius corporis ſit Ordinibus Major. Cum in Comitiis meritò ei ſemiſſem tribuamus, alterum verô Statibus, & præterea *Reſervata* habeat, neceſſariò & omnibus ſimul ſumptis & ſingulis multo magis eſt ſuperior. Quæ à proſcripto Aut. *diſſ.d.Rat.Status* afferuntur publico conflictui reſervamus.

S. D. G.

COROLLARIA.

I.

Advenæ tenentur legibus territorii.

2.

Capitulatio Cæſarea vel nullam vel exiguam habet cum Lege Regia affinitatem.

3.

Jure Divino Clerici legibus non eximuntur.

4.

Non eſt ſimpliciter admittendum quòd conſuetudo legem non vincat.

5.

In ſtatu Monarchico conſvetudinem quoq; locum obtinere ſinè fundamento rejicitur.

6.Pa-

6.

Pactum nudum neutiquam importat negationem.

7.

Leviorem meretur pœnam ex amoris æstu qui delinquit.

8.

Jus venandi neque ad servitutes rerum neque personarum rectè refertur.

9.

Quod ex calore quodam committitur perjurium licèt jure civili non puniatur, dolo tamen perpetratum extraordinariè coercetur.

10.

In societate observatur proportio Arithmetica.

11.

Sponsalia per solum annulum datum non contrahuntur: Quod sæpe insuper verum licet expresso sponsaliorum nomine annulus datus sit.

12.

Si socius rei communis vectigal non solvit, alterius socii pars non est commissa.

13. De-

13.

Debiti Legatum nulla ratione valet.

14.

Lex Falcidia rectè testatorum gratia introducitur.

15.

Legitima potest jure civili tolli.

16.

Posthumus adhuc hodie rectè exheredatur.

17.

Omnes contractus innominati sunt bonæ fidei.

18.

Contractus consensuales licet solo consensu constent, specie nihilominus à cæteris differunt.

19.

Unius ex pluribus ejusdem debiti chirographi redditione obligatio non remittitur.

FINIS.

